



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Avrelianensi Episcopo, & Eleemosynæ Cisterciensis & Bonævallis  
Abbatibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

EPISCOPO ZAMORENSI,  
& Mauricio Archidiacono Toletano, &  
magistro Michaeli Canonico Segobienfi.

Epist. 70.  
De recipiendis  
testibus super  
prescriptione.  
Vide supra epist.  
69.

**C**um Lupus procurator monasterij Onienfis proposuisset inter alia coram nobis ad illud in suis Ecclesiis ratione cuiusdam transactionis inter ipsum & bonae memoriae Victorem Burgensem Episcopum olim in iura parochiale jus integrè pertinere, ac venerabilis frater noster Burgenfis Episcopus, successor ipsius, in eisdem quaedam sibi iura parochialia vendicaret, nos eandem causam sententiae curavimus calculo terminare, prout in aliis litteris ad vos directis plenius continetur. Sed cum lata sententia, procurator ipse ad probandum praescriptionem super quibusdam articulis fuisset à nobis per beneficium in integrum restitutionis admissus, cepit nobis humiliter supplicare ut per in integrum restitutionis auxilium eum ad probandum admittere dignaremur quòd Burgenfis Ecclesia ratum habuit & consensit ut Onienfe monasterium in omnibus Ecclesiis quas tunc temporis possidebat, jus parochiale in integrum obtineret, sicut per quandam transactionem assererebat sibi fuisse concessum. Quocirca discretionem vestram per apostolica scripta mandamus quatinus recipiatis testes quos utralibet pars super praedicto rathabitionis consensu duxerit producendos, & depositiones eorum super iamdicto recipientes articulo, quas per vos nulli penitus volumus revelari, penes vos reservetis fideliter consignatas, donec negotio super ceteris ventilato, de ipsius processu per vos redditi fuerimus certiores, & per nostrae responsionis oraculum qualiter in ipso procedendum sit declaratur, cum non hoc ipso quòd testes super dicto capitulo taliter recipi volumus ad cautelam intendamus adhuc in integrum restitutionis auxilium monasterio indulgere. Volumus etiam & mandamus quòd si causam eandem ad nostrum remiseritis examen instructam, attestationes huiusmodi simul ad nos cum aliis remittatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani Nonis Maij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

AVRELIANENSI EPISCOPO,  
& Eleemosyna Cisterciensis &  
Bonnavallis Abbatibus.

Epist. 71.  
De electione  
Abbatissae S.  
Aviti.

**C**um post alia circa quae super correctione monasterij sancti Aviti de mandato nostro providè processistis, Abba-

tissam eisdem loci, prout erat exigente iustitia faciendum, ab administratione suspensam excommunicationis quoque vinculo curaveritis innodare, ad depositionem ipsius, quamvis expedire plurimum videretis, propter appellationem quae ab ipsa dicitur interposita, sine conniventia nostra, sicut accepimus, procedere dubitastis. Quia igitur intelleximus Abbatissam praedictam à monasterio ipso merito amovendam, eaque ibi praesidente vel residente, statum praefati monasterij commode reformari non posse, discretionem vestram per apostolica scripta mandamus quatinus eidem ab ipso profus amota, iuxta quod ordini & statui suo congruit, auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo provideri alibi facientes, injungatis sororibus monasterij supra dicti ut per regularem electionem sibi praeficiant personam idoneam in rectoricem. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcopus &c. Datum Laterani v. Nonas Maij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

HERVEO TRECENSI EPISCOPO.

**D**ilecto filio nostro Petro tituli sanctae Pudentianae Presbytero Cardinale dilectis filiis R. de Avalon Cellarario Senonensi & R. de Noa Clerico procuratori tuo auditore concessio, idem Cellarius proposuit coram eo quòd cum bonae memoriae Guillelmus Remensis Archiepiscopus, tunc apostolicae sedis Legatus, ad Trecentem accessisset Ecclesiam, in qua G. nepoti suo praebendam concedere intendebat, cum nulla penitus vacaret ibidem, dictus Cellarius, non tam ei quam nobis etiam cupiens in hac parte placere, praebendam quam in ipsa obtinebat Ecclesia in ejus manibus resignavit. Qui liberalitati ejus volens postmodum grata vicissitudine respondere, de Capituli Trecentis assensu, praesente quoque venerabili fratre nostro Senonensi Archiepiscopo, tam praefatum nepotem suum quam etiam Cellarium in Canonicos Trecentis instituit, & ambobus idem Capitulum stallum in choro & locum in Capitulo assignavit. Quibus idem Remensis Archiepiscopus fructus supra dictae praebendae tamdiu dividendos communiter assignavit donec praefatus G. integrum esset praebendale stipendium assecutus, in eos qui contravenire praesumerent excommunicationis sententia promulgata, quorum receptionem generalis procurator bonae memoriae praedecessoris tui in Constantinopolitans paribus